

DE CONSOLATIONE AD LIVIAM PRO CLAUDIO USURPATORE IULIANI IMPERII SCRIPTA

Quaestio de indole et aetate Consolationis ad Liviam, qua Drusus Augusti privignus a. 9 a. Chr. mortuus defletur, cohaeret cum quaestione de aetate Elegiarum in Maecenatem. nam Elegiarum auctor in fronte opusculi v. 1 s. fatetur, se post iuvenem modo defletum senem sibi deflendum sumpsisse. Maecenas autem senex postero anno, quam Drusus iuvenis mortuus erat, diem obiit a. 8 a. Chr. accedit, quod Consolationis scriptor lectoribus inculcat, se interfuisse equitem Romanum Drusi exsequiis, v. 202 *funeris exequiis adsumus omnis eques*. unde examinare oportet, num Consolatio sub Ovidii nomine tradita Elegiarum auctori reddenda sit. quae quidem quaestio ut profligetur, ante omnia videndum est, num fides habenda sit Consolationis scriptori affirmanti, se Drusi pompam funeris inter equites Romanos iisse. nam indicia aetatis in carminibus incertis obvia trutina critica pensanda sunt, ne fraude scholastica poetae aetatem sibi placentem simulantis fallamur.

I

De Consolationis auctore Ovidium se esse simulante

Primus M. Haupt, Opusc. I p. 351 vidit, Consolationis scriptorem se ipsum equitem propterea v. 202 dixisse, ut P. Ovidius Naso esse videretur. nam etiamsi inter claros poetas elegiacos Romanos Tibullus quoque equestris ordinis fuerit, tamen Ovidius tam curiose de ordine suo equestri locutus est, ut lectores poetam eius ordinis vocatum praecipue Ovidium cogitarent. vafritia igitur haud exigua Consolationis auctor duas res urbanis omnibus notas in unum concurrere iussit, ut fraudem sibi structam facilem redderet. praeter quod sub poeta ordinis equestris Ovidius ultro intellegebatur, Drusum militia equestri eminuisse inter omnes constabat. sic specie umbratus simplicitatis rhetor fraudulentus paene in transcurso commemorans, se Drusi exsequiis equitem interfuisse, effecit, ut rem tam ad personam Drusi quam ad Ovidium quadrantem exhibuisse lectoribus videretur.

Ovidius quidem in elegia autobiographica Trist. IV 10 se equestris ordinis veterem heredem appellavit v. 7 s. „si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, non modo fortunae munere factus eques“. deinde a curia prohibitum se per omnem vitam angusto clavo contentum fuisse fatetur ibid. v. 35 „curia restabat. clavi mensura coacta est.“ denique Trist. IV 2, quo carmine exul Tomide a. 10 p. Chr. populum Romanum festos dies agere mente se videntem inducit, vel Drusi merita pristina de subactis Germanis v. 39 tangens, equitem Romanum se gaudiis populi interesse somniat v. 15 s. „plebs pia cumque pia laetetur plebe senatus, parvaque cuius eram pars ego nuper, eques“. iam vero in Drusi funere partes magnas equites Romani teste Dione LV 2 implerunt. nec mirum: nam in urbem Drusus a. 11 a. Chr. ovans equo invectus est redux ab expeditione Germanica, ut idem Dio LIV 33 narrat; deinde quam impiger exercitui equitans praefuerit, mors eius docet, de qua Livius, Perioch. 142 „ipse ex fractura, equo super crus eius conlapso, . . . mortuus“. praeterea ad caelum Drusus equo alato vehitur in gemma Parisiaca, de qua p. 198 ss. dissero; simul nummos equestri statua Drusi decoratos sub Claudio percussos ibidem infra recensebo.

Daci navigiis ex Istro in Pontum proruperunt

Nec tantum equitem se v. 202 Consolationis scriptor in funere Drusi apparuisse dixit, ut Ovidius esse videretur. immo ut id efficeret, etiam *Ponti* mentionem iniecit v. 387 s., illud secum reputans, Ponto commemorato memoriam Ovidii excitari Tomide, in oppido ad Pontum sito quondam exulantis librosque *Ex Ponto* Romam mittentis. occurrit autem *Pontus* in catalogo populorum a Neronibus, Druso et Tiberio de bellatorum:

V. 387 ss. Danuviusque rapax et Dacius orbe remoto
 Apulus — huic hosti perbreve Pontus iter —
 Armeniusque fugax et tandem Dalmata supplex
 summaque dispersi per iuga Pannonii.

Quo in catalogo inde a v. 385 usque ad v. 391 decurrente enumeratio populorum a Neronibus devictorum moleste interrumpitur parenthesi *huic hosti perbreve Pontus iter*. cui parenthesi offensionem duplicem inesse priores interpretes suo iure existimaverunt. qui nec causam invenerunt, cur *Ponti*

mentio inferretur, neque illud tolerari posse censuerunt, quod perbrevis itineris per Pontum faciendi finis nullus a poeta dictus est. nempe multo brevior itinere quam per Pontum ex Dacia ad Italiam per *p o n t e m* Danuvio impositum pervenitur. unde Micyllus locum „aeque difficilem et obscurum“ seposuit, Burmannus eum „felicioribus ingeniis reliquit“. Scalliger autem *pontis* pro *Pontus* et *hinc* pro *huic* scriptis textum sic constitutum *hinc hosti perbreve pontis iter* commentatus est verbis hisce: „Dacia tunc finis imperii Romani Danubio terminata. itaque pons iungens Danubium fuisset perbreve iter hosti ad fines imperii Romani“.

At equidem cum consilium poetae Ovidium se esse simulantem in censum voco, non solum rationem habeo, cur *Pontus* de improvviso in parenthesi locum sibi vindicet, sed etiam finis apparet, ad quem Daci perbrevis itinere per Pontum vecti tendebant. nimirum hac via non Italiam aut Romam petiverunt hostes isti rapaces, sed Tomidem aliaque oppida opulenta ad oram maritimam Ponti sita. ut uberius explicem, quid rei sit, Daci Apuli ex montibus septentrionalibus descendentes atque Danuvio scaphis actuariis devecti in Pontum eruperunt, ut oppida proxime a capite Istri absentia in portus appulsi invaderent. ceterum catalogus iste populorum a Nerone superatorum illa pars Consolationis est, quae singulari eruditione splendet, nomina afferens a vetustioribus litteris Latinis aliena, *Isarci*, annis Alpini, et *Apulorum*, nationis Dacorum. infra autem sub V p. 215 ss. eruditionem omnem Consolationis perlustrans hanc selectam notitiam catalogi de Dacis Apulis et de Isarco ex Ovidii deperdito opere in Tiberii triumphum mense Ianuario a. 13 p. Chr. actum repeto. iam vero cum Ovidius hoc carmen triumphale sub extrema senectute Augusti panxerit, in eo carmine eum mentionem Dacorum Apulorum iniecisse, optimo iure ideo sumitur, quia Orosius, Adv. pag. VI 22, 2 „commotione Dacorum sub extrema senectute Augusti Iani portas pulsatas patuisse“ testatur (cf. Realenc. IV 1964). qua tamen in re diserte statuendum est, hanc commotionem Dacorum annorum 13 s. p. Chr. non a Tiberio profligatam esse, qui longo tempore ante ex Pannonia Dacos a. 10 a. Chr. reppulerat, annis autem 13 et 14 p. Chr. non belligeravit in Illyrico (cf. Realenc. X 483; 495). nihilominus Ovidium apud Tomitas inquietatum recentissima illa commotione Dacorum sub senescente Augusto suspicor priora damna Dacorum in expeditionibus Tiberii Illyricis,

quae variae fuerunt tam annis 12—10 a. Chr. quam annis 6—9 p. Chr., magnopere agitavisse triumphum Pannonicum Tiberii canentem. quid multa? parenthesis illa, qua cursus catalogi male tardatur, flosculus Ovidiani carminis triumphalis est ab Consolationis auctore in opusculum suum receptus, ut Ovidium gereret.

De imitatione Ovidiana Consolationis ad Liviam

Imitationem Ovidianam personatus Ovidius omnino plurimum facere putavit, ut verus Ovidius esse existimaretur. unde carmen replevit imitatione apertissima Ovidii, ex cuius operibus locutiones plurimas, hemistichia multa, quin versus paene integros suo sermoni sollerter intexuit. qua imitatione tam opera Ovidii multis annis post Drusi mortem scripta quam quae ante mortem Drusi confecta sunt, compilantur. iam vero in ea re illud commoneo, Consolationis auctorem nequaquam idcirco temeritatis fraudisve inerte institutae arcessendum esse, quia non abstinuit a compilandis libris Ovidianis post exsequias Drusi editis, quibus exsequiis se interfuisse ipse v. 202 memorat, nil dicens de ipso anno, quo carmen panxerit. itaque imitatione Ovidiana Consolationis per opera omnia Ovidii pertinente nulli nisi ii critici difficultatibus obstringuntur, qui incertum Consolationis auctorem unum eundemque poetam esse volunt atque Elegiarum in Maec. scriptorem, qui quidem v. 1 ait, se sub ipsis exsequiis Drusi illum deflevisse, aequae atque Maecenatem statim post mortem eius epicedio laudavit. periclitatus est arte personatus Ovidius carmen suum Ovidio subdere conatus solum in eo, quod plane immodicam imitationem sui Ovidio, avidus se cum illo aequandi, attribuit. nam in imitationem sui adeo effusam verus Ovidius operibus genuinis inter se comparatis nusquam excessit.

Ceterum vel hoc gradu imitationis inter Consolationem et opera Ovidii intercedentis excluditur opinio eorum, qui Consolationem Ovidio ipsi adscribere ausi sunt A. Klotz, *Gesch. d. R. Lit.* p. 215 et A. Rostagni, *La Lett. di Roma republ.* ed Aug., p. 380 s. et 454 s. quos refellere supersedeo declinantes male a consensu doctorum reliquorum, Consolationem ab Ovidio causis variis et gravissimis abiudicantium; cf. *Realenc. XVIII* 1 (1942) 1972, 34 ss. et Schanz-Hosius, *Gesch. d. R. Lit.* II⁴ p. 255.

II

De Claudii libertis, principis auctoritatem propagantibus libellis, gemmis, nummis in honorem Drusi patris fabricatis

Ex imitatione Ovidiana Consolationis non modo Ovidium videri velle auctorem cognoscitur, venum etiam terminus certus, post quem Consolatio scripta est, nobis suggeritur. non ante excessum Ovidii in annum 17/18 p. Chr. cadentem carmen ortum est. sequitur, ut aetas Consolationis ex temporibus Augusteis in posteriora tempora reiectae etiam accuratius definiatur. quam ad definitionem peragendam qua via procedendum sit, reputans differo ab iis doctis, qui in vestigiis Lucani, Statii, Martialis apud scriptorem Consolationis relegendis desudarunt. quantum in ambiguitatem haec studia incidere, docent praesertim labores a B. Axelson in eam rem impensi, qui vigilantia summa similitudines argenteorum poetarum cum Consolatione indagavit. qui cum sub Domitiano Eranos XXVIII (1930) p. 20 ss. Consolationem panctam esse censuerit, idem in libro „Unpoetische Wörter“ (1945) p. 24 iam in sententiam aequae lubricae ait: „vielleicht sollte man nicht über die Neronische Zeit hinausgehen“. unde equidem bene conscius, quantopere musa poetarum latinorum pendeat a vita publica populi Romani et a favore Caesarum Augusto deinceps succedentium, hoc primum interrogo, cui principi Drusi Liviaeque memoriam redintegrare maxime cordi fuerit. qua in quaestione immoranti extemplo se offerunt initia Claudii principis, qui quanta reverentia memoriam Drusi patris Liviaeque aviae coluerit, et Suetonius, Claud. 11 et Dio LX 5 tradunt. Claudio igitur ad imperium vocato poetas rhetores nil antiquius habuisse, quam ut laudes Drusi, patris imperatoris canerent, primum Goett. Anz. CCIII (1941) p. 82 asseveravi, pravae aliorum opiniones de ortu Consolationis questus. iam vero Walther Kraus Ovidii opera et genuina et subditiua magna cum cura persequens, argumentatione pro-
vectus propria Realenc. XVIII 1 (1942) p. 1974, 39 ss. sub primis annis Claudii, quibus de Livia Drusoque consecrandis deliberatum sit, Consolationi locum dedit. denique B. Schweitzer, „Entstehung und Bedeutung des großen Pariser Kameo“, Klio XXXIV (1942) p. 328 ss. gemmam illam, qua Germanicus in orientem a. 17 p. Chr. profecturus fingitur, demum circa a. 41 in honorem Claudiae gentis sculptam esse evicit. qui item ut gemmam istam etiam Consolationis carmen, Ovidio

suppositum, ad Claudiorum nomen augendum sub initiis Claudii edolatum esse *ibid.* p. 349 verissime monuit.

Qui consensus tergeminus de indole et aetate Consolationis ad Liviam, in quem suo quisque Marte ingressus tam Kraus et Schweitzer quam ego convenimus, plurimum assensu dignus est. sic fieri potest, ut Consolatio, primum ab Haupt, iterum a Skutsch et Vollmer in labyrinthum mirorum errorum ducta, tandem Ariadnae filium habeat, quod secuta ad lucida tela diei exeat. / quamquam nescius non sum, ea, quae ex laudibus Drusi Liviaeque sub initiis Claudii mirum quantum efflorescentibus de origine Consolationis efficio, confirmanda cum maxime esse imitatione Annaeana Consolationis, quam ad nulla opera philosophi nisi ea, quae initiis Claudii scripta sint, spectare probavero. praeterea latinitas argentea Consolationis observanda erit, eruditio auctoris perlustranda; denique anachronismi personati Ovidii omnes ad unum retegendi sunt.

Eguit autem Claudius, praeter spem subito imperator factus, Drusi nominis paterni sibi dignitatem asserentis magnopere, quoniam ad cursum honorum ab Augusto et Tiberio ut paene factus non admissus, post necem Gaii a milite in principatum raptus, inter gentiles gentis Iuliae receptus non fuit, successor obtrusus Iulii, Gaii et Tiberio. atque adeo Divi Augusti stationem usurpanti Claudio memoria Drusi patris renovata ideo usui summo fuit, quia Augustus Drusum alumnum mirum in modum dilexerat. qui teste Suetonio, Claud. 1 in senatu professus erat, Drusum se coheredem semper filiis instituisse; deinde defunctum ita pro contione laudavit, ut deos precaretur, „similes ei Caesares suos facerent, sibi que tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.“ unde Claudii liberti, quos in aula principali gubernacula tenuisse inter omnes constat, si modo de patrono genti Iuliae legitime succedente solliciti erant, opusculum Consolationis Liviae de morte Drusi in honorem domus Claudiae conciliaverunt. poetam idoneum sciscitati sunt, qui sub persona Ovidii, eius vatis Augustei, quo per lustra mortem Drusi subsequenter spectator nullus fuit, testimonium luculentum daret, quanto nominis splendore Drusus sub Augusto usus sit.

Recapitulatio de gemma Parisiaca

Nec fumum me vendere, Claudii libertis partes tam magnas in explicando ortu Consolationis tribuentem ut pateat,

facit interpretatio gemmae Parisiacaе, quam Mus. Rhen. XCI (1943) p. 289 ss. „Der Kaisermacher M. Antonius Pallas im Jugendbildnis auf dem großen Pariser Cameo“ extypo gemmae additio elucubravit. qua commentatione figuram adolescentis cultu orientali ad pedes Tiberii et Liviae in throno collocatorum subsidentis, quam figuram Schweitzer l. l. p. 352 interpretesque priores inexplicatam reliquerant, Pallantem esse dixi Antoniae, matris Claudii libertum, quem Suetonius, Claud. 28 a *rationibus* fuisse memorat. Pallas igitur, qui regibus Arcadiae ortum se esse gloriabatur, de Claudia gente variis modis meruit. qui adulescens Antoniae epistulam de Seiano imperium affectante vigilias Seiani frustratus Capreas detulerat ad Tiberium ex testimonio Iosephi. deinde quod Claudius post necem Gai subito principatum adepturus praetorianis singulis quina dena sestertia, primus Caesarum fidem militis etiam praemio pigneratus promisit, pecuniam aut Pallas, libertus a rationibus aut nemo exsolvit. libertos potentissimos aulae principalis iam ante Gai necem cum Claudio conspirasse Iosephus, Ant. Iud. XIX 66 s. p. 191 Niese testis disertus est. Pallanti vero ne nimium dem opinatus, eum Claudio astutia praesenti adfuisse in die imperii arrogandi praeter Herodem Agrippam item ei adstantem testibus Dione LX 8, 2 aliis, cavetur ea re, quod idem libertus ex testimonio Taciti, Ann. XII 25 spatio temporis post auctor fuit regni ad Neronem transituri, non ad Britannicum. nam Pallas Agrippinae consiliis maxime obstrictus erat prae aliis libertis, Narcisso ab epistulis et Callisto a libellis. atque etiam orationem, qua Claudius Neronem senatui commendavit, habuit Caesar „in eundem, quem a Pallante acceperat, modum“. unde idem Tacitus, Ann. XIII 14 suo iure queritur, Pallantem sub Claudio „velut arbitrium regni egisse“. honoratus autem libertus est a principe dignitate praetoria aliisque insignibus, senatusque consulta de iis rebus facta in aere incidebantur; idque aes fixum erat ad statuam loricatam Divi Iulii. denique imaginem auream Pallantis Vitellii Caesaris pater inter Lares coluit.

Gemma Parisiaca, qua Germanicus in orientem profecturus a. 17 valedicens Liviae et Tiberio factus est, non potest ante annum 23 sculpta esse. nam in gemma Drusus minor, Tiberii filius, qui demum anno 23 dolo Seiani et veneno maritae interiiit, una cum Divo Augusto, Alexandro Magno, Drusu maiore iam in caelo locum possidet. ubi artifex scaenam anni 17 fingens anachronismon sibi condonavit, non passus, in ectypo ad

dignitatem Claudii asseverandam sculpto rivalem Claudii in regno assequendo inter vivos repraesentari. quodsi propagandae auctoritatis Claudii gratia gemmarium in scaena praeteriti temporis refigenda operam collocavisse, hoc anachronismo approbatur, etiam altero anachronismo evidentissimo omnis indoles gemmae intellegitur. nempe eo habitu instructum Claudium gemmarius in imagine produxit, ut eum tam fato quam arbitrio priorum principum, Augusti et Tiberii destinatum heredem imperii iam a. 17 fuisse crederes. ubi quod Claudius gestu heroico auctus sphaeram orbis terrarum ab Alexandro Magno et Divo Augusto accepturus fingitur, id plane per anachronismum fit, nec potuit Claudius eo habitu in ectypo repraesentari ante principatum initum. nam usque ad necem Gaii Claudii despectissimus inter suos fuit Claudiorum omnium. nepotem Liviae Augustus in epistula a Suetonio. Claud. 4 exscripta ad honores producere recusavit his verbis: *praebenda materia deridendi et illum et nos non est hominibus*. deinde Tiberius regnum adeptus etiam acerbius in Claudium invectus est. ille enim fere eodem anno 17, qui ficticius gemmae est, Claudio instantius legitimos honores flagitanti id solum codicillis rescripsit teste Suet. ibid. 5 *quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria misisse ei*. denique sub Gaio Claudium non minus contumeliis obnoxium vixisse Suetonius ibid. 7 s. refert.

Eadem igitur res nobis est cum gemma Parisiaca atque cum carmine Consolationis ad Liviam de morte Drusi. quemadmodum gemma circa a. 41 sculpta scaenam anni 17 praebet, sic Consolatio, qua Drusus anno 9 a. Chr. mortuus defletur, brevi post annum 41 sub Ovidii nomine in vulgus data est. nec tantum gemma ista, sed etiam n u m m i sub Claudio cussi imagineque Drusi signati demonstrant, quam circumspecte liberti principis nomen patroni auxerint. nimirum aureos, denarios, sestertios, quicumque diem tulerunt imagine Drusi insignes, ad unum omnes sub Claudio percussos esse periti consentiunt, quorum commentationes Schweitzer l. I. p. 347 attulit.

III

De imitatione Annaeana Consolationis

Horam Consolationis dixi publica vita populi Romani vitisque Caesarum Augusto succedentium in censum vocatis. iam vero, cum carmen initiis Claudii attribuerim, explicare meum est, quae ratio inter id et Senecae opera, praecipue con-

solatoria intercedat. omnem autem concordiam Epicedii cum Seneca philosopho sub uno conspectu composuit curis diligentissimis R. B. Steele, „The Nux, Maecenas and Consolatio ad Liviam“ (1933) p. 45—51. quo conspectu perlustrato apparet, similitudines Annaeanas, quaecumque in Epicedio occurrunt, certas et evidentissimas esse in dialogis VI et XI, Consolationibus ad Marciam et ad Polybium, contra incertas et ambiguas remanere in reliquis scriptis philosophi. ne in Consolatione quidem ad Helviam matrem ex Corsica missa consensus loquelaе, si quem esse sentis, ultra dubium excedit. tantopere autem non solum coloribus et sententiis, sed etiam cogitationibus philosopho dignissimis Consolationes ad Marciam et ad Polybium cum Epicedio conspirant, ut sumere nefas sit, Senecam carminis flosculos in usum suum vertisse; immo inter fontes carminis dialogi isti duo Annaeani numerandi sunt.

Nec casu accidit, ut nullos libros Senecae nisi Consolationes ad Marciam et ad Polybium Epicedii scriptor expilaverit. nam Consolationem ad Marciam vel ideo adire debuit, quia ea a sermone copioso de Livia Drusum deflente cap. 2—5 exordium sumit. Consolationi autem ad Polybium oratio proluxa Claudii Caesaris cap. 14,2—16,3 intextitur, qua in oratione Drusus pater locum insignem cap. 15,5 occupat. accedit quod Seneca in hoc dialogo passim Claudio adulando incumbit. itaque gentis Claudiae auctoritatem sublevaturus Ovidius personatus non potuit non in hunc quoque librum Senecae animum intendere. Polybius autem, quo deprecaturus principem Seneca exul sperabat se veniam impetraturum esse, libertus ab studiis Suetonio, Claud. 28 teste permultum valuit, „qui saepe inter duos consules ambulabat“. idem Polybius teste Dione LX 31 a. 47 a Messalina neci datus est, cuius feminae impulsu Seneca relegatus est. quae cum ita sint, Polybium Messalinae non utique obnoxium eundemque litterarum cura honesta cum Seneca conexum, omnino partes magnas egisse probabile est in corhortandis scriptoribus Romanis, ut gentem Claudiam celebrarent, similiter atque ad gentem Iuliam celebrandam Maecenas poetas convocaverat. quodsi liberti principis officiis inter se certarunt, ut dignitatem patroni exornarent, Polybius a studiis auctor fuisse putandus est, qui — aequae ut Pallas gemmam Parisiacam sculpendam curavit — Consolationem ad Liviam de morte Drusi conciliaverit.

Aliquantum igitur in exploranda ratione, quae inter Senecam philosophum et Epicedium Drusi intercedat, profecimus.

imitatio Annaeana carminis duobus dialogis ad Marciam et ad Polybium coeretur. nec vero in scriptis Senecae excepta Consolatione ad Marciam Livia loco praecipuo utitur; tantum De clemen. I 9, 6 Augustum ad clementiam adhortata breviter inducitur, deinde Apocol. 9, 5 *Diva Augusta* in caelo strictim nominatur. Drusi autem, qui tam in Consolatione ad Marciam quam in Consolatione ad Polybium laudibus tollitur, in omni reliqua scriptura Senecae nulla mentio est, nisi si Nat. quaest. I 1, 3, ubi caprae, ignis caelestis prodigium in Divi Augusti excessu, in Seiani interitu, in *Germanici* morte visum esse narratur, *Germanici* vocabulum ad Drusum, patrem Claudii refertur, ac non ad Agrippinae maritum in oriente, sede domestica astrologorum mortuum. ceterum *Drusum Caesarem*, Attici proneptem a Seneca, Epist. 21, 4 memoratum Tiberii filium dici, non est quod moneam.

Iam vero venio ad aetatem dialogorum ad Marciam et ad Polybium definiendam. qua in definitione infitias non eo cardinem argumentationis verti, qua Consolationem ad Liviam pro Claudio usurpatore Iuliani imperii factam esse instem. nam fac modo, Consolationem ad Marciam aut ad Polybium, quorum dialogorum uterque certum locum inter fontes carminis obtinet, in seriore aetate quam in primos annos Claudii cadere; nonne tunc lubrica omnia fiunt, quae adhuc de origine carminis elucubrata esse videntur? sin vero Consolationem ad Marciam Seneca post Gai necem a. 41 ad Liviae amicam, quam Marciam fuisse philosophus ipse 4, 1 fatetur, dedit, Consolationem autem ad Polybium a. 42 ex Corsica misit, ut principe praedicto libertum a studiis ad revocandum se ex exilio incitaret, feliciter ab omni dubitatione removentur, quae de aetate Epicedii adhuc exposui.

De Consolatione ad Marciam anno 41 post Gai necem scripta

Inter antiquissimos dialogorum Annaeanorum nobis servatorum Consolationem ad Marciam locum occupare, sibi persuaserunt plurimi ut C. Buresch, „Consolationum a Graecis Romanisque scriptarum historia critica“ (Leipz. Studien IX, 1886) p. 110 ss., A. Gercke, „Seneca-Studien“ (1895) p. 284, C. Muenscher, „Senecas Werke“ (Philologus, Suppl. XVI, 1921) p. 6 s., M. Pohlenz, „Philosophie u. Erlebnis in Senecas Dialogen“ (Goetting. Nachr. 1941) p. 98. quem dialogum Romae Senecam confecisse apparet ex verbo eius 16, 2 „in qua istud

urbe, di boni, loquimur?“ deinde ex coloribus admodum temperatis, quibus philosophus inter mala mortalibus fortiter toleranda exilium 17, 5 et 22, 3 commemorat, Buresch l. I. p. 111 optimo iure effecit, neque intra exilium querelis assiduis Senecae perferendum, neque post id tenacem aerumnae pessimae eum tam quieto et sedato animo de hoc malo vitae humanae loqui potuisse. sic terminus, ante quem dialogus scriptus sit, in aperto est. multo autem difficilior quaestio de termino post quem est. quamquam interim saltem certissimum aliquem terminum, ultra quem ascendere utique vetamur, — salva licentia descendendi in inferius etiam tempus Gaii necati — tertius annus peractus Gaii Caesaris praebet, qui imperium mense Martio anni 37 adeptus, interemptus mense Ianuario anni 41 est. Gaius enim scripta A. Cremuti Cordi, parentis Marciae, quae scripta sub Tiberio senatus consultis abolita erant, teste Suetonio, Cal. 16 „requiri et esse in manibus lectitarique permittit“. quibus de libris patris in usum hominum reducendis Marciam „magnitudine animi“ excellentem plurimum meruisse Seneca in praefatione dialogi 1, 3 ss. cum laudibus matromae narrat. iam vero postquam philosophus Marciae virtutem in interitu patris et in servandis operibus eius approbatam „roburque animi eius exploratum“ celebravit, transit in posteriore parte praefationis 1, 5 ss. ad Marciam eandem Metilii filii morte praematura luetibus muliebribus adeo discissam, ut „dolorem suum in filii locum superstitem fecerit“ neque ullum finem maerori imposuerit. unde commotum se esse Seneca 1, 7 autumat, ut tandem triennio post mortem Metilii peracto ad consolandam matrem eius accederet. etiamsi autem interstitio inter excessum Metilii et editionem dialogi indicato Seneca adminiculum aliquod dederit inquiringibus in aetatem dialogi, tamen de ipso anno, quo Metilius decesserit, testimonium disertum non suppeditatur. nec vero ullo alio loco dialogi Seneca nos de anno fatali Metilii certiores facit.

Carentes igitur testimonio diserto de anno, quo Metilius decesserit, tamen haud immerito priores ut Buresch p. 113 ita Gercke p. 284 et Muenschler p. 6 conclusionibus sobriis ad verum venire temptarunt. nimirum demum post opera patris sub initiis Gaii in usum hominum reducta Marciam filium amisisse, ex mutato habitu matronae concludendum est, a virtute virili subito in maestitiam inertem conversae. quocirca triennium illud, quod Seneca inde a morte Metilii usque ad Consolationis editionem absumptum esse ait, a termino — non a priore quam

ab excessu Tiberii — sed probabiliter aliquanto posteriore principium capessivit. quo fere calculo ducti Buresch, Gercke, Muenscher, alii aut extremo Gai anno 40 aut primo Claudii 41 Consolationem, quam utique ante relegationem philosophi prædiisse supra efficiebatur, ortam esse sibi persuaserunt. qua quidem ratione aetatem dialogi definientes priores verum vidisse assentior excepto eo, quod annum 40 anno 41 praeferendum esse ideo decreverunt, quia nil in dialogo ad regnum a Claudio susceptum spectaret. e contrario evidentissimum indicium Claudiani regiminis dialogo inest, praeter quod molestum sit, decessum Metilii, quo obruta Marcia in inertiam cecidit, statim post Tiberii mortem ponere. nam matronam sub Gaio aliquantum temporis etiam-tunc vigilantia virili floruisse ex Seneca cognoscitur. Metilium enim testatur 24, 3 *materna sine dubio suffragatione* sacerdotio auctum esse, nec credenda est Marcia sub Tiberio in damnata memoria patris Cremuti publicis rebus intervenisse. ceterum Metilius, quamquam a Seneca 24, 3 *puer* propter sanctitatem morum sollemni latinitatis usu vocabuli *puer* appellatur, nequaquam in pueritia fato abreptus est. sed vitam finivit ex verbo Senecae 12, 3 *iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos.*

Sequitur, ut indicium retegam, quo dialogum sub initiis Claudii a. 41 ante relegationem structum esse evinuitur. nimirum fugere Senecam non potuit, quanto studio novus Caesar ad officia pietatis conversus, Liviae aviae memoriam coluerit. inde laudibus Liviae in Consolatione ad Marciam praecipuum locum tenentibus favorem Claudii Seneca se captatum esse iusto iure sperabat. egebat autem Seneca benevolentiae Claudii admodum, quippe qui senator et vir quaestorius doctrina et eloquentia in loco conspicuo collocatus iam sub Gaio teste Dione LIX 19 de vita periclitatus esset. deinde sub Claudio cavendi erant stimuli Messalinae, quae postquam filium Claudio mense Februario anni 41 peperit, potentia luxuriabatur infestissima Gai sororibus Livillae et Agrippinae ex exilio a Claudio revocatis, quibuscum Seneca conspirabat. quarum Livillam Messalina brevi post reditum eius ex exilio rursus a. 41 extorrem egit annoque 42 necavit. quam artis nexibus philosophus cum Livilla et Agrippina iunctus fuerit, inde constat, quia eodem tempore atque Livilla relegatus ipse est, et quidem, ut Dio LX 8 vult, obstrictus criminibus Livillae obiectis. Agrippina autem post interitum Messalinae a Claudio

in matrimonium ducta nil antiquius habuit, quam ut Senecam ex Corsica reduceret. quae cum ita sint, pericula Messalina dominante Senecam iam primis mensibus anni 41 circumstant. nec vero si exul *subitis ruinis* autumno anni 41 se fractum esse epigrammate in Corsica edolato Anthol. 410, 3 Riese queritur, idcirco improvidus fuisse putandus est vere anni 41 rerum adversarum iam tunc sibi imminentium. quas cum animo praesagiret, Claudii gratiam laudibus Liviae merere utique in rem erat.

Ansam igitur dedit Senecae ad Consolationem ad Marciam conscribendam non solum maestitia matronae per triennium extensa. nam vel biennio aut etiam minore tempore inveteratus amicae dolor philosophum debuit movere, ut ei succurreret. immo meo iure miror neminem adhuc offendisse in eo, quod demum post triennium amicam consulatus est. nec vero merito quis respondebit, Chrysippum vetuisse ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere. qui locus communis Consolationum antiquarum quam tritus sit, testimoniis plurimis allatis Wytttenbach Plutarchi commentatus Consolationem ad Apollonium 2 p. 102 B docet; quem locum inter Latinos Cicero, Tusc. IV 63 et Plinius, Epist. V 16, 11 tractarunt, atque Seneca quoque in Consolatione ad Helviam matrem 1, 2 adhibuit. verum vero quod demum post triennium ad Marciam consolandam accessit, eam tarditatem Chrysippo advocato excusare Senecam ipsum puduit. qui e contrario confitetur 1, 8 „cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere; leniore medicina fuisset oriens adhuc restringenda vis“. quare si verum vis, cum Seneca instituerit declamationem de Liviae laudibus oculis principis libertorumque principalium subicere, Marciae meminit, quam *familiariter*, ut ait 4, 1, *coluisse Iuliam Augustam* notum erat.

Accedit alterum, ex quo intellegitur, philosophum officio consolandae Marciae abusum, suam rem egisse, ut principi grata auditu insurraret. nam a praeceptis debuit Seneca ex artis regula sermonem inchoare, ab exemplis inchoavit, qua de re ipse commonet 2, 1 „scio a praeceptis incipere omnes, qui monere aliquem volunt, in exemplis desinere. mutari hunc interim morem expedit; aliter enim cum alio agendum est“. consulto igitur Seneca adversus regulam artis peccavit. quodsi interrogas, quare peccaverit, responsum fit ex ipso exemplo, quod uberrimum in fronte dialogi legitur. ubi per capita quatuor 2—5 in Livia celebranda immoratus est, quam tantopere

sustulit laudando, ut nomen eius, vel detrahens Octaviae, Augusti sorori, feminae honestissimae, augetet. deinde Areum philosophum oratione longiore 4, 2—5, 6 Liviam consolantem induxit, quem philosophum assiduum Augusti comitem 4, 3 vocat, cui quidem omnes secretiores animorum motus Augusti et Liviae noti fuerint. putes consuetudinem cum philosopho principi Senecam philosophum commendavisse, qui paulo posteriore tempore tantum praestaturus erat Neroni Caesari colloquiis philosophicis.

Livia a. 29 defuncta a. 42 die XVII mensis Ianuarii senatus consulto consecrata est deque consecranda ea inde ab initiis Claudii apud populum et senatores Romanos rumores fuisse dubitari nequit. quodsi postulas a nobis ut discernamus, utrum a. 40 an 41 is liber scriptus sit, quo senator Romanus Seneca dolorem triennio inveteratum Marciae matronae cum Iulia Augusta familiariter iunctae consolandum sibi proposuit, — cum is liber insuper in fronte polleat laudatione copiosa Liviae praeter morem ante praecepta pro exemplo allatae, — eum librum in primo anno Claudii 41 ponere omnia suadent.

Relinquitur, ut H. Dahlmann refellatur, qui *Gnomon XIII* (1937) p. 368 Consolationem ad Marciam a. 40, Gai extremo anno scriptam esse, inde sibi efficiendum putavit, quod vituperatione Gai in aliis dialogis Senecae occurrente Consolatio ad Marciam vacat. illud quidem verum est, in dialogo, brevi post necem Gai foras dato, Caesarem modo interemptum ne transeundo quidem tangi penitusque sileri. sed cur sileatur, Dahlmann non vidit detentus formula, quam invita Minerva studiis suis Annaeanis imposuit l. l. p. 373 ss.: „das für Senecas Verständnis eigentlich entscheidende scheint mir die Beziehung auf den Adressaten“. „Senecas Schriften sind nie Konfessionen seines innern Lebens“. qua in formula exercenda quantis erroribus Dahlmann se obstrinxerit, quin secum ipse pugnaverit, Pohlenz l. l. „Philosophie und Erlebnis in Senecas Dialogen“ p. 85 ss. abunde exposuit. unde equidem contentus sum, de tribus Consolationibus Senecae monere. quarum Consolationem ad Marciam absolvi; de Consolatione ad Helviam matrem Pohlenz verissime loquitur p. 99 „Sie ist zugleich eine Consolatio ad se ipsum wie die Ciceros nach Tullias Tode“. denique de Consolatione ad Polybium audiatur Buecheler, *Kl. Schr.* II p. 449: „quo consilio hoc volumen a Seneca compositum putamus, consolandi Polybii causa an potius Caesaris ut

aures sibi patefierent clementiorque voltus adrideret?" ceterum ut quaestionem a Dahlmann harioatione aspersam expurgem, in omni scriptione sua philosophica Seneca tria corda habebat. velut in Consolatione ad Marciam velim admireris sollertiam elegantem, qua philosophus sibi salutique suae senator consuluerit, deinde Marciae consolandae vacaverit, denique ad contemplationem philosophicam proventus aversusque a necessitatibus vitae activae gavisus sit placita stoica tractare arte rara scribendi digesta ingeniique luminibus blanda reddita et affabilia.

Itaque rem, quam Dahlmann exhibuit questus, in Consolatione ad Marciam Gai Caesaris nec volam nec vestigium exstare, eam rem explico ex omniperita prudentia philosophi et senatoris Romani versipellis in periculis, a qua indole Senecae recte intellegenda Dahlmann tam longe abest quantum Seneca a simplicitate pura animae candidae. quid igitur est? an vero putabimus Senecam, si Chaereae tribuni Gaium trucidantis nomen. De constantia sapientis 18, 3 et Epist. 4, 7 illustravit, idcirco interemptorem Gai iisdem mensibus anni 41 inneuntis laudaturum fuisse, quibus novus princeps Claudius Chaeream supplicio affecit? aut existimabimus, si Seneca a. 42 ex Corsica Consolationem ad Polybium mittens clementiam Claudii a Gaio absentem 13, 4 praedicavit atque etiam 17, 4 ss. furiosam inconstantiam Gai corripuit, idcirco eum eo temporis momento in Gaium invectum esse, quo tempore Claudius senatum Gai memoriam testibus Dione LX 4 et Suetonio, Claud. 11 damnare vetuit? quid multa? equidem Senecam silere potuisse opinor, ubi silere providentis erat. cuius rei argumentum gravissimum quoddam insuper addo, cum interrogo, quae causa fuerit, cur Seneca Agrippinam, cuius favori plurima debuit, nullo loco scriptionis suae, ne in Apocolocyntosi quidem, commemoraverit. unde id utique elucet, taciturnum Senecam ibi fuisse, ubi taciturnitatem se decere inque rem esse arbitratus est.

De Consolatione ad Polybium anno 42 scripta

Ad definiendum annum, quo Consolationem ad Polybium Romam Seneca miserit, duo loci 13, 2 et 18, 9 summum momentum habent. locutione panegyrica in Claudium 13, 2 *hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, et patrios triumphos ducat et novos* certum cognoscitur, dialogum non in posteriorem annum quam 43 cadere. nam a. 44 Claudius de Britannia triumphum duxit, quem futurum esse Seneca auguratur. quibus

autem rationibus commovear, ut iam anno 42 dialogum tri-
buam, quibusque scrupulis prohibear, ne Buechelero, Kl. Schr. II
p. 449 aliisque astipuler, dialogum anno 43 adscribentibus, pau-
cis accipe. expeditio Britannica Claudii intra annum 43 non
solum instituta, sed etiam maximam partem peracta est. quo
anno A. Plautius vir consularis cum quattuor legionibus insu-
lam appulsus prospero eventu pugnavit, praeterea Claudius a
Roma advectus iterum iterumque imperator acclamatus est;
denique iam in eundem annum 43 cadit reditus Claudii victo-
ris ex Britannia in Galliam, cf. Dio LX 21 ss. itaque ad has
res anno 43 gestas parum quadrat Senecae locutio optativa
13, 2 *Britanniam aperiat*. immo vereor, ne haec vox *aperien-
dae Britanniae* tralaticia quaedam vulgo Romae vigerit similis
Catonianae *Carthaginem esse delendam*. recurrit enim apud
Melam III 49 *Britanniam, tamdiu clausam aperit ecce prin-
cipum maximus*. ex quo Divus Iulius Britanniam cum exercitu
ingressus est, Divus autem Augustus expeditionem Britannicam
teste Dione IL 38 et LIII 22 semel atque iterum, quamvis frus-
tra, intendit, principibus succedentibus praeceptum ad promissa
patranda datum erat. sic Gaius Caesar anno 40 de intranda
Britannia agitavit. atque etiam, ubi primum Claudius impe-
rium suscepit, clamorem „Britanniam aperiendam esse“ resusci-
tatum extemplo esse, facile sumitur. accedit quod Dio LX 19
narrat, Bericum nationis Britannicae cuiusdam principem, insula
per seditionem eiectum, Claudio copiarum in eam mittendarum
auctorem fuisse; qui Bericus quo anno Romam supplex advenerit,
non traditur; putes a. 42. denique quod vocem de Germa-
nis pacandis Seneca 13, 2 cum voce de Britannia aperienda
consociavit, vox de Germanis spectat ad P. Gabinii Secundi
excursionem a. 41 in Chaucos factam, ubi aquilam clade Varia-
na amissam recuperavisse fertur (cf. Mus. Rhen. XCII, 1944,
p. 302 ss. „Der Mythus um die Adler der Varusschlacht“).

Itaque annalibus Romanis lustris 41—44 respectis annus 42
multo melius quam annus 43 ad colorem sententiae Annaeanae
13, 2 respondet. tamen priores docti ideo dialogi aetatem quam
proxime ad triumphum Britannicum anni 44 admoverunt, quia
sub fine dialogi philosophus lamentatur, se longo iam spatio
temporis in Corsica detineri: 18, 9 *haec, utcumque potui, longo
iam situ obsoleto et hebetato animo composui*. hoc tamen ar-
gumentum aetatis dialogi dicendae frango exemplo Ovidii, quo
exemplo instruimur, quam breve temporis spatium exulibus
praesertim primis annis peregrinationis longum esse videatur.

ita Ovidius se iam *spatio longo* exilium Ponticum tulisse queritur tunc, cum non amplius duobus autumnis peractis Tomide brumam horruit, Trist. IV 6, 19 ss. *ut patria careo, bis frugibus area trita est, dissolvit nudo pressa bis uva pede. nec quaesita tamen spatium patientia longo est, mensque mali sensum nostra recentis habet.* quemadmodum igitur Ovidius a. 9 Tomidem advectus, autumno anni 10 patientia non quaesita carmen ad sodales Romanos sortem exulis deflecturos dedit, sic Seneca a. 41 in insulam relegatus, vergente anno 42 longo iam situ heberatum se esse sentiens Consolationem ad Polybium de morte fratris Romam misit.

Quod vero Polybium, utpote qui ab studiis fuerit, adstrictum officio ad promovendas litteras Romanas Claudio placentes, supra p. 201 opinatus sum Epicedium Drusi conciliavisse, id iis denuo commendatur, quae Seneca 8, 1 ss. de Polybio narrat; quem dies et noctes indefesso labore litteris vacare ait, de Homero et Vergilio aequè meritum atque de aequalium libris propagandis. unde videtur ne Polybius dialogum sibi a Seneca missum Epicedii auctori in subsidium laboris suggesserit, ut facundia et eruditione Annaeana carmen exornaret. certe imitatio Annaeana post Ovidianam proximum locum in Epicedio obtinet; ac quam sollerter personatus Ovidius cum imitatione Ovidiana Annaeanam contexuerit, iam exemplo probabo.

IV

**Spicilegium criticum in Consolationem ad Liviam
documentum latinitatis argenteae**

Spicilegio critico versus omnes, quos Vollmer, editor praestantissimus, cruce signavit, absolvo, ut ex latinitate quoque appareat, Epicedium Claudiana aetate scriptum esse. tantum versum 103 ipsum quoque a Vollmer cruce signatum trans eo, quippe quem Heinsius dudum emendaverit. ceterum Vollmer traditionem carminis etiam post versum 360 laesam esse putavit, post quem lacunam unius distichi indicavit. ubi tamen memoria manuscripta nulla labe afficitur; qua re plana facta eum ipsum locum pro exemplo habeo, quo imitationem Annaeanam cum Ovidiana coniunctam Pseudo-Ovidii illustrem.

Mors dea interitum mundo minata loquens inducitur

V. 357 ss. fata manent omnis, omnis expectat avarus
portitor et turbae vix satis una ratis.
tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
omnia sub leges Mors vocat atra suas:

- „Ecce, necem intentam caelo terraeque fretoque,
casurum triplex“, vaticinatur „opus“.
i nunc et rebus tanta impendente ruina
in te solam oculos et tua damna refer.
- Ovid., Trist. II 425 s. explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
casurumque triplex vaticinatur opus.
- Lucret. V 92 ss. principio maria ac terras caelumque tuere;
quorum naturam triplicem, tria corpora,
Memmi,
tris species tam dissimilis, tria talia texta,
una dies dabit exitio, multosque per annos
sustentata ruet moles et machina mundi.
- Seneca, Ad Polyb. 1, 2 s. mundo quidam minantur interitum
et hoc universum, quod omnia divina humanaque com-
plectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit
et in confusionem veterem tenebrasque demerget: eat
nunc aliquis et singulas compleret animas . . .; eat
aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura sibi non
pepercisse conqueratur. quis tam superbae impoten-
tisque arrogantiae est, ut in hac naturae necessitate
omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac suos
seponi velit ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti
aliquam domum subtrahat? maximum ergo solacium
est cogitare id sibi accidisse, quod omnes ante se passi
sunt omnesque passuri; et ideo mihi videtur rerum
natura, quod gravissimum fecerat, commune fecisse,
ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas.

In interpretando versu 362 *casurum triplex vaticinatur opus* criticos priores fugit, quam apte singularis numerus *vaticinatur* ad v. 360 *Mors* referatur, quod R. Helm, Philol. Wochenschr. LV (1935) p. 921 in recensenda editione Arnoldi Witlox (Groningen 1934) et equidem vidimus. unde nec *vaticinantur* cum Heinsio, Hauptio, Baehrensi scribendum est, nec cum Vollmero *Lucretii* nomen ex Ovid., Trist. II 425 in lacuna supplendum. *Mors* dea, quamquam inter numina publica populi Romani recepta non est, tamen in libris poetarum et in titulis sepulcralibus saepe occurrit. iam Ennius induxit per prosopopiian loquentem *Mortem* p. 207 Vahlen: Quint. Inst. IX 2, 36 *Mortem et Vitam contententes in satura tradit Ennius*. frequentant prosopopiian poetae argentei, Seneca in tragoediis, Lucanus, Statius, Silius in epicis. quin in numen *Mors* abiit apud vulgum superstitiosum Carm. epigr.

67, 6; 249, 21; 346, 4; 1339, 1. cf. Roscher, Lexic. d. gr. u. r. Myth. II 3218 ss. et Realenc. XVI 315 s.

Oratio poetae sic structa: „omnia sub leges suas Mors vocat: ecce necem vaticinatur intentam caelo terraeque fretoque, casurum triplex opus“ duabus proprietatibus sermonem argenteum prodit. particula *ecce*, pro qua Vollmer *esse* dedit, non ad substantivum *necem*, sed ad verbum *vaticinatur* accedit. nimirum sic ut ad totam sententiam spectet, *ecce* ponere post Ovidium amant poetae argentei; cf. Ovid., Fast. I 543 *ecce boves illuc Erytheidas applicat heros*. Met. XII 271 *ecce rapit mediis flagrantem Rhoetum ab aris*. Thes. I. L. V 2 p. 30, 8 ss. deinde asyndeton bimembre *necem intentam, casurum triplex opus* ex codicibus mihi restitutum, cum editores ex Ovidio *que post casurum* suppleverint, optime quadrat ad vaticinationem Mortis cum concitatione animi emissam, praeter quod asyndeton bimembre imitatore Senecae praecipue decet, qui hoc loquendi genus maxime excoluit; cf. S. Preuss, „De bimembris dissoluti apud script. Rom. usu sollemni“ (1881) p. 13 et W. Puttfarken, „Das Asyndeton bei d. r. Dichtern“ (diss. Kiel 1914). nec obstat metrum, quominus *que* ante *triplex* ex Ovidio contra fidem codicum Epicedio obtrusum respuamus. nam etiamsi apud Ovidium *triplex* a brevi syllaba incipiat, in Epicedio a longa, id nihil offensivis habet, quae est consuetudo auctoris Epicedii, ante mutam cum liquida vel in thesi longam syllabam admittentis; cf. v. 27 *funera pro sacris*; v. 50 *quamque licet citra*; v. 249 *nec iuvenis positi supremos*; v. 341 *haec ipsum sublime*. apud Lucretium *triplex* tam a longa syllaba incipit quam a brevi; cf. III 237 *iam triplex animi*; V 93 *quorum naturam triplicem*.

Omnia igitur recte traduntur in codicibus Epicedii eo loco, quem ad illustrandum elegi, quanto studio auctor in compilandos Ovidium et Senecam irruerit. num etiam Lucretium evolverit, ad quem evolendum Ovidius eum incitare potuit, non curo; utique immunis remanet ab errore Ovidii, qui Lucretii doctrinam de interitu mundi reddens tantum epyrosin memoravit, stoicis maxime placentem, aquarum oblitus, quas Lucretius V 394 s. pari loco cum ignibus habuit. ceterum in versibus 357—364 ne una quidem cogitatio invenitur, quin in Consolatione ad Polybium recurrat, etiamsi Annaeana in novum ordinem redigantur, imaginibus poeticis velut *portitoris avari* fucentur, pentametro Ovidiano illuminentur. in stilo quoque philosopho obnoxius Annaeanum *eat aliquis per i nunc*

poeta reddidit; quam formulam *i nunc* etiam Seneca compluribus locis ab O. Rauschnig, „De latinitate Senecae“ (1876) p. 9 congestis adhibuit.

Simplex pro composito

V. 393 s. adde quod est absens *functus* nec cernere nati semineces oculos sustinuere tui.

Verbum simplex *functus* pro *defunctus* in carmine obvium facit, ut etiam ex latinitate terminus certus appareat, post quem Consolatio scripta est. nam quae est consuetudo latinitatis inferioris verba simplicia pro compositis usurpantis, post alios tractata luculenter ab E. Loefstedt, „Beiträge zur Kenntniss d. späteren Latinität“ (1907) p. 82 et „Spätlat. Studien“ (1908) p. 49 ss., ea consuetudo abest illa quidem ab aurea latinitate, at pullulare coepit iam in argentea; cf. A. Draeger, „Syntax und Stil des Tacitus“ (1882) p. 9 s.; A. Hoppe, „Über die Sprache d. Philos. Seneca“ (Gymnasialprogr. Lauban 1877) p. 14. in sermone pedestri Seneca dixit *ponere* Dial. XII 6, 3 pro „proponere“, Epist. 75, 9 pro „deponere“, Apocol. 11, 2 *tulit* pro „abstulit“. iam vero idem Seneca in tragoediis primus testis eius usus est, quo verbum *fungi* i. q. „defungi“ valeat; cf. Oedip. 240 *functi* . . . *regis*; Thyest. 749 *tegat functos humus*. optimo igitur iure in Consolatione, utpote quam sub Claudio posuerimus, codicum quorundam lectionem v. 393 *est absens functus* probamus, etiamsi aliis codicibus paene lautioribus *foetus* tradentibus de archetypi scriptura parum constet. nec vero peccamus adversus artem in dissensu codicum traditionem obscuriorem *foetus* respuentes, *functus* accipientes, quod iam Burmann et Haupt in textu receperunt. nimirum *fuctus* pro *functus* in titulo CIL. V 53 scribitur; sic ex *fuctus* facile nequior lectio *foetus* codicum qualiumcumque nasci potuit; denique ex versu 379 *es foetibus aucta duobus* v. 393 *foetus* somnolentia scribarum in censum vocata explicare licet.

Ii tantum editores, qui a. 9 a. Chr. statim post mortem Drusi Consolationem ab eodem auctore atque Elegias in Maec. factam esse volunt, Baehrens et Vollmer *functus* pro „defunctus“ aureae aetatis carmine, aureum esse autumantes, indignum habuerunt. praesertim Vollmer, qui etiam in Thes. l. L. VI 1 p. 1586 ss. verbum *fungi* tractavit, in obscuro reliquit, quando simplex pro composito *defungi* adhiberi coeptum sit. ille enim ab usu verbi *fungi* i. q. „mori“ valentis p. 1590, 25 ss. collecto

omnes eos locos prohibuit, ubi participium *functus* pro adiectivo positum i. q. „mortuus“ significat. quos locos sub propria rubrica p. 1590, 71 ss. conguessit. spreto igitur Vollmero acquiesco in eo, quod R. Helm quoque Philol. Wochenschr. LV p. 922 monuit, novum usum vocis *functus* pro „defunctus“ in Senecae tragoediis occurrentem separari non posse a Consolationis voce v. 393 *est absens functus*. maxime denique Vollmer in eo a vero aberravit, quod ab uno eodemque auctore Elegias et Consolationem factas esse institit, tam immemor imitationis Ovidianae Consolationis ad opera Ovidii post annum 9 a. Chr. scripta pertinentis, quam inscius rationis inter Elegias in Maec. et Consolationem intercedentis, de qua ratione cf. infra sub VI p. 222 ss.

Pudicitia in sinu habitat

V. 41 ss. quid tibi nunc mores prosunt actumque pudice
 omne aevom et tanto tam placuisse viro?
 quidque pudicita <at> tantum in<s>i(nu)ata bonorum,
 ultima sit laudes inter ut illa tuas?

V. 43 codicum lectio *pudicitia tantum inviolata* duas offensions habet. ars metrica obstat, ne brevem vocalem in exitu vocis ante consonam simplicem apud Consolationis auctorem toleremus, cuius generis licentia ne in semiquinaria quidem apud dactylicos Romanos exceptis antiquissimis occurrit; Ennius quidem fecerat Ann. 147 *et densis aquila / pennis obnixa volabat*; at dubiae auctoritatis remanet memoria manuscripta locorum eadem licentia affectorum Verg., Aen. III 464; Tib. I 7, 61; Prop. IV 1, 101; Ov., Am. III 7, 55, nedum in exulta arte argentea id genus licentiae admittere liceat; cf. Mus. Rhen. LXVII p. 145 s. et XCII p. 89 ss.

Altera offensio, quae versui 43 inest, in dictione *inviolata* ponitur, quippe quae nil faciat ad verba *tantum . . . bonorum* sic struenda, ut pudicitiae laus inchoata v. 41 s. *actumque pudice omne aevum* acumine novo augeatur simulque omnis virtus Liviae elegantia rhetorica comprehendatur. unde priores versus variis coniecturis temptarunt, quorum F. Leo propius quam ceteri ad verum accedens proposuit *quidque pudicitia in tantum colata bonorum*. verum pro *in* Leonis *at* dedi; ante *t* praepositio *ad* sollempniter *at* scribitur; cf. Thes. l. L. I p. 472, 35 ss. ita mendum versus inter *pudicitia* et *tantum* hiantis facile explicatur litteris *at* pro dittographia habitis a

librario festinante. cum vero *insinuata* pro *collata* Leonis scripserim, sententia evadit per paraphrasin reddenda; „pudicitia in sinum Liviae ingressa ad tantum bonorum accessit, ut ultima inter laudes eius haec virtus, matronis probis naturaliter innata, relinqueretur.“ verbum *insinuandi* hoc loco non eo usu cum praepositione *ad* coniungitur, ut indicetur, quorsum pudicitia se insinuet, qualis usus vocabuli verbi causa occurrit Rhet. Her. I 6, 10 *nos insinuabimus ad causam*. immo eadem ratione, qua Lucretius III 698 s. *extrinsecus insinuatam . . . animam* sede, in quam intret anima, non significata, dixit, sic eleganter tacuit Consolationis auctor in verbo *insinuare a sinu* derivato id quod per se patet. pudicitia matronae apud Romanos in sinu habitat, castitas in cunno.

Ferale ut impurum luitur

V. 235 s. iste meus periit, periit arma inter et enses
et dux pro patria: funera causa l(uit).

V. 236 *luit* scripsi, *latet* traditur, quod corruptum esse critici consentiunt. quorum Haupt cum Cuypers dedit *funere causa patet*, Baehrens *funera causa probat*, Ziehen pro *latet* proposuit *levat*, Vollmer *beat* vel *sacrat*. funera ut feralia ex religione Romana impura sunt, inde luenda. velut Tiberius, quem corpus Drusi in Germania mortui, pedibus toto itinere praegredientem, Romam usque pervexisse Suetonius, Tib. 7 narrat, tamen princeps factus Germanico scripsit, cum ille reliquias Variiani exercitus tumulo condidisset primumque caespitem posuisset, haec verba de feralibus: *neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtractare feralia debuisse*. habes igitur hoc verbo Taciti, Ann. I 62 edoctus compertum, quid de funere filii vel honestissimo casu abrepti Livia, mater Tiberii et Drusi senserit religionibus obstricta. Consolationis autem auctor verbum *luendi* cum miro loquelae acumine adhibuit, utpote quod verbum tam i. q. „pur-gare“, „expiare“, quam i. q. „persolvere“, „compensare“ valeat; cf. Forcellini — De Vit s. v.

V

De eruditione Consolationis ad Liviam

Ex eruditione in Consolatione obvia aetatem poetae eruere, implicata res est. nam M. Haupt, Opusc. I p. 354 ss., philologus spectatissimus, sibi ostendisse visus est, nulla nisi

tali eruditione auctorem carminis instructum fuisse, qualem Italus homo saeculi XV ex Seneca, Suetonio, Dione, Servio converrere potuerit. unde demum aevo litterarum resurgentium carmen Ovidio suppositum esse coniecit. quae coniectura corruit et aliis argumentis a Buecheler, Kl. Schr. II p. 247 prolatis, et praestantia eruditionis eius, quam Haupt cum damno suo despexit in Consolatione occurrentem de rebus quibusdam aetatis Augusteae atque etiam Claudianae. nam v. 386 Isarcus, fluvius Alpinus, v. 387 s. Dacorum natio Apula, v. 291 ss. Tiberis in funere Drusi inundans commemorantur, quarum rerum apud alios veteres parvissima tantum memoria aut nulla est. hos iugtur tres locos deinceps tractabo, ut quid valeat carmen ad res Augusteas cognoscendas ostendam, verum tamen in eo non acquiesco. immo quas refert poeta reconditiores res aetatis Augusteae, eae vide ne spectent ad vitam Drusi et Tiberii renovandamque memoriam eorum sub initiis Claudii. denique vel id ad recte aestimandam eruditionem Augusteam Consolationis momentum habet, quod poetae argenteo vetustiores litterae hodie deperditae praesto fuerunt. qua in re praecipue Ovidii carmen de triumpho Tiberii in censum venit, quod iam supra p. 195 inter fontes Consolationis habui. item Drusi Epicedion aliquod auctorem Elegiarum in Maecen. sub exsequiis Drusi fecisse constat; quod cum perierit, tamen usque ad Claudium minimum duravit. itaque ex hoc carmine aut etiam ex similibus litteris Augusteis in honorem Drusi compositis Consolationis scriptor eruditionem haurire potuit, quae eum falsa specie contemporanei Drusi circumdaret.

De via militari Claudia Augusta a Druso propter Isarcum per Alpes ducta, a Claudio perfecta

- V. 383 ss. quod spes implerunt maternaque vota Neronis,
quod pulsus totiens hostis utroque duce:
Rhenus et Alpinae valles et sanguine nigro
decolor infecta testis Isarcus aqua.
Danuviusque rapax et Dacius orbe remoto
Apulus — huic hosti perbreve Pontus iter —
Armeniusque fugax et tandem Dalmata supplex
- V. 390 summaque dispersi per iuga Pannonii;
et modo Germani, Romanis cognitus orbis:
aspice, quam meritis culpa sit una minor.

In consolanda Livia argumenta cumulans venit poeta v. 371 ss. ad Fortunam hominibus sortem suam cuique dispensantem, cuius numinis iniquitatem Livia in morte praematura Drusi passa sit, favorem eadem Livia in multis aliis rebus, inter quas arma victricia filiorum numerantur. horum igitur acta bellica in catalogum v. 385—391 redacta poeta exhibet. primum locum catalogi bellum Raeticum Vindelicumque occupat, quo Neronis gentes Alpinas domuerunt, tam alias plurimas quam Isarcos propter amnem Isarcum (Eisack) habitantes, amne et populo nomen idem ferentibus (cf. Realenc. IX 2053 et 2054). Isarci vero fluvii nulla mentio in antiquitate est praeter Consolationem ad Liviam.

Natio Isarcorum Romanis innotuit tropaeo Alpium a. 7/6 a. Chr. Augusto a senatu populoque Romano dedicato (cf. Realenc. 2. Reihe VII 661). cuius tropaei in Liguria structi inscriptio, ruderibus paucis CIL. V 7871 servatis, integra traditur apud Plinium, Nat. hist. III 136 s. hic *Isarci* leguntur; Plinius nationis testis unicus, ut fluvii Consolatio.

Quaeritur, unde Isarcus fluvius, qui in Athesim influit, tam rara memoria contentus, in Consolationem venerit. quod nomen ex Epicedio illo deperdito Drusi sub exsequiis eius anno 9 a. Chr. ab auctore Elegiarum in Maecenatem pacto in Consolationem venisse parum probabile est. nam tropaeum Alpinum, quo vocabulum Isarci hominibus litteratis innotuerit, demum a. 7/6 a. Chr. exstructum est. nec vero Drusus reversus ab expeditionibus, sive Alpinis sive Germanicis triumphum egerat. atqui triumphos spectantes cives Romani nomina remota ducum hostilium, regionum, oppidorum, fluminum, ubi pugnatum erat, maxime comperiebant; cf. Realenc. 2. Reihe VII 503 s. v. *Triumphus*. quae cum ita sint, carmen quod intercidit Ovidii in triumphum Tiberii mense Ianuario anni 13 p. Chr. actum facile pro fonte Consolationis habetur. id enim carmen nomina propria insolita auribus Romanis, at nobilia facta actis Drusi et Tiberii continuisse certum est. atque adeo ipse Ovidius testis luculentus eius moris Romanorum est, quo vel fluviorum imaginibus triumphus exornaretur: Ars I 219 ss. „atque aliqua ex illis cum regum nomina quaeret, quae loca, qui montes, quaeve ferantur aquae; omnia responde: . . . hic est Euphrates, praecinctus harundine frontem; cui coma dependet caerulea, Tigris erit.“ Trist. IV 2, 37 s. „hic locus, hic montes, haec tot castella, tot amnes, plena ferae caedis, plena cruoris erant.“

Ex Ponto II 1, 39 „fluminaque et montes et in altis proelia silvis.“

Deinde Consolationis auctor, acerrimus omnio imitator Ovidii, in ea poemata Ovidii, quae de triumphis agerent, imprimis oculos intendit. quae res intellegitur ex Trist. IV 2, quam elegiam, in triumphalibus versantem, idoneam duxit, ex qua versum quendam in suae orationis contextum transsumeret. quae elegia Ovidii vel ideo eum praeterire non potuit, quia in ea Drusus v. 39 commemoratur. versum autem Ovidianum, quem adhibuit 42 *decolor ipse suo sanguine Rhenuis erat*, sic imitator invertit, ut de *Isarco* diceret v. 385 s. *sanguine nigro decolor infecta testis Isarcus aqua*, quae de *Rheno* Ovidius dixerat. praeterea alterius cuiusdam elegiae Ovidianae Ex Pont. III 4, item in triumphalibus versantis, versum 108 *Rhenus et infectas sanguine porgat aquas* ad extruendam dictionem Pseudo-Ovidius v. 386. *infecta testis Isarcus aqua* accessivit. iam vero, si modo insuper etiam *Isarci* vocabulum ex Ovidii deperdito opere triumphali traxit, fluvii nomen addens flosculis loquelae ex Trist. IV 2 et Pont. III 4 desumptis, dilucide apparet, quanta sollertia musivam artem imitandi Pseudo-Ovidius in compilandis tribus triumphalibus carminibus Ovidii exercuerit.

Simul vero et id ex Ovidio discitur, quanto studio poetae triumphos canentes nixi sint, ut se peritos rerum locorumque externorum in triumpho gestatorum ostentarent. praesertim Ovidius in elegia Ex Pont. III 4, qua elegia opus triumphale suum, quod interiit, amicis commendavit exilitatemque eius excusavit, questus est, se exulem remotumque a Roma opus non ad eum gradum, quem voluerit, nutrire potuisse nominibus peregrinis: v. 25 s. „sed loca, sed gentes formatae mille figuris nutrissent carmen proeliaque ipsa meum“. v. 39 s. „nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota locorum nomina.“ atque etiam ex Trist. IV 2 cognoscitur, eruditionem selectam ex titulis et picturis triumphalibus passim in vulgus manasse: v. 19 ss. „ergo omnis populus poterit spectare triumphos, cumque ducum titulis oppida capta leget, vinclaque captiva reges cervice gerentes ante coronatos ire videbit equos“.

Denique illud adnoto, *Isarcum* fluvium, bello Neronum Alpino anni 15 a. Chr. memorabilem, in triumpho Tiberii anni 13 p. Chr., Pannonico et Germanico, ideo sibi locum vindicare, quia de gentibus Alpinis Neronum neuter adhuc triumphaverat.

Venio ad id, ut demonstrarem, *Isarci* notitiam, quam Augusteam esse probavi dignamque opere triumphali Ovidii a. 13 p. Chr. pancto, eandem notitiam etiam Claudiani principatus initia eximie decere. nam circa Isarcum amnem Drusus pater non modo belligeraverat, sed etiam viam militarem propter ripam annis sternere coeperat. hanc vero viam principatum assecutus Claudius Caesar silice et glarea substruxit, magnisque sumptibus totum opus immensi laboris *Claudiae Augustae* a Pado usque ad Danuvium per valles Athesis et Isarci ductae paucis annis, postquam imperium adeptus erat, anno 46/47 perfecit: cf. Realenc. III 2708, 32 ss. et 2832, 20 ss. nimirum quae erat pietas Claudii erga patrem, statim post susceptum regnum consilium inierat, ut res ab illo inchoatas perpetraret. quocirca, quae primo obtutu Consolationis eruditio singularis de Isarco nulli nisi Augustae aetati convenire videatur, eadem eruditio ratione evidentissima cum primis annis Claudii iungitur, quibus annis Consolationem scriptam esse dudum scimus.

**Apulus Dacius item atque Isarcus fluvius
fragmentum Ovidianum opusculi in triumphum Tiberii**

Dacos in triumpho Pannonico Tiberii a. 13 p. Chr. locum habuisse constat. in Consolationis catalogo populorum a Neronibus debellatorum v. 385—391, qui mihi quasi in speculo triumphum Tiberii ostendere videtur, expeditiones Tiberii omnes inde ab Armeniaca anni 20 a. Chr. referuntur. atque adeo reppulit Tiberius a. 10 a. Chr. ex devastata Pannonia Dacos, qui Istrum frigore concretum transgressi erant (cf. Dio LIV 36; Realenc. IV 1963, 26 et XI 483, 46). deinde in seditione Pannonica annorum 6—9 p. Chr. rursus Tiberius cum iis conflixerat (cf. Dio LV 30; Realenc. IV 1963, 68). quodsi in triumpho Tiberii Daci inter populos victos ostendebantur, etiam in deperdito opere Ovidii hunc triumphum celebrante commemorati erant. cum vero Dacorum gens in plures nationes discesserit, quarum natio Apula septentrionalis partes Daciae obtinebat, Romani autem tam ex Thracia et Macedonia quam ex Illyrico profecti cum Dacis bella gesserint, veri simile est, Tiberium in Illyrico belligerantem de Dacis septentrionalibus, i. e. de Apulis et victorias reportavisse et triumphum egisse. verum vero historici veteres nullo loco *Apulos* nominatim vocant, ita ut memoria bellorum Romanis cum Dacis sub Augusto gestorum Consolatione augea-

tur. atque id ipsum, quod singulari memoria *Apulorum* Consolatio splendet, facit, ut ex titulis triumphi Tiberiani nomen in Consolationem venisse intendam. quantum momentum triumphi Romanorum ad nomina externa memoriae tradenda habuerint, *Thusnelda* docet, quod nomen maritae Arminii Siguardi posteris latuisset, nisi Strabo VII p. 292 in narrando triumpho Germanici dixisset (cf. E. B., „Arminius-biographie und Sagensigfrid“, Bonn, 1949, p. 98 et 125). triumphos Romanos luxuriasse nominibus vel alienis a litteris antiquis, *Isarco* nusquam nisi in Consolatione obvio modo demonstrabatur. quocirca item ut *Isarcum* etiam *Dacium Apulum* Consolationis scriptor ex Ovidii opere triumphali in Tiberium traxit.

Relinquitur, ut de universa memoria nominis *Apulorum* pauca adnotem, quod potius in inscriptionibus Latinis quam in litteris antiquis comparet. natio Apula tunc demum in antiquitate notior fieri coepta est, cum colonia Romana in provincia Dacia nomen *Apulum* a natione duxit (Realenc. II 290 ss.). quod municipium aetate Antonina maxime floruit ruinaeque eius in oppido Karlsburg hodie exstantes opulentiam coloniae veteris ostentant. verum iam sub Traiano castra et canabas legionis apud Apulos tendentis, ex quibus municipium ortum est, nomen Apulorum divulgavisse libenter putabimus. unde mirum fit, ut vocabulum *Apuli* tam coloniae quam Daciae gentis tantum perrara memoria utatur. nam nomen coloniae in litteris Latinis, si Geographum Ravennatem et Tabulam Peutingerianam excipis, non est; Graecorum unus Ptolemaeus habet. in titulis autem Latinis vocabulum coloniae sane saepius occurrit. at eorum titulorum, qui nomen coloniae praebent, nullus prior iudice Mommseno est quam CIL. III 986 anni 180.

Etiam rarius quam coloniae, nationis Daciae nomen *Apuli* traditur. ne in inscriptionibus quidem occurrit, ita ut Consolationis scriptor testis unicus nationis tam potentis et bellicae remaneat. exilitatem autem memoriae de Dacorum Apulis inde explico, quod prima notitia Dacorum non ex Illyrico et ex septentrionalibus partibus Daciae ad Romanos pervenit, sed ex Thracia et Macedonia. quamquam dictator Caesar et postea a. 35/34 Octavianus a Pannonia Dacos aggredi destinarant (cf. Realenc. IV 1960, 25 ss. et 1962, 9 ss.), tamen multo maior res Romanis ultimo saeculo liberae rei publicae et sub initiis Augusti cum Dacis australibus fuerat, Thraciae

et Macedoniae finitimis (cf. Realenc. ibid. 1957 ss.). sic etiam Horatius, postquam M. Crassus in Macedoniam missus contra Dacos a. 29 bellum gessit, cecinit Carm. III 8, 18 „occidit Daci Cotisonis agmen“.

Accedit altera causa, cur Daci Apuli tam exili memoria in antiquitate utantur. nam Daci universi, tam australes quam septentrionales apud historicos veteres, praesertim eos, qui graece scripserunt, iterum atque iterum *Getae* vocantur. tanta autem erat consanguinitas Dacorum cum Getis, cum quibus linguam, mores, cultum deorum, instituta publica communia habebant (cf. Realenc. IV 1950, 58 ss. et VII 1330, 55 ss.), ut varietas nominum *Dacorum* et *Getarum* apud Latinos quoque grassaretur. velut Horatius quod l. l. *Daci Cotisonis* cladem commemorat, Crassus, Cotisonis victor triumphavit testantibus Fastis triumphalibus CIL. I² p. 50 ex *Thraecia et Geteis* (cf. Realenc. XIII 272, 27). Ovidius autem apud Tomitas exul plurimis locis *Getas* memoravit, feritatem eorum questus, quorum locorum nonnulli merito ad Dacorum commotionem sub senescente Augusto referuntur ab Orosio traditam (cf. p. 195; Realenc. IV 1964). iam vero quod in servatis scriptis Ovidii nusquam *Daci* dicuntur, ego tamen triumphali operi eius amisso *Dacios Apulos* tribui, a more solito declinavit Ovidius fontis auctoritate detentus, titulo triumphali.

**Tiberis in funere Drusi inundantis memoria votaue pro
consecrando Druso tunc inita refoventur sub Claudio**

- V. 221 s. ipse pater flavis Tiberinus adhorruit undis,
sustulit et medio nubilus amne caput.
- V. 227 s. iamque rogi flammam extinguere fluminis ictu,
corpus et intactum tollere certus erat . . .
- V. 231 s. sed Mavors, templo vicinus et accola Campi
tot dixit siccis verba neque ipse genis:
- V. 239 „Quondam ego tentavi Clothoque duasque sorores,
V. 241 ss. ut Remus Iliades et frater conditor Urbis
effugerent aliqua stagna profunda via.
de tribus una mihi: „partem accipe quae datur“,
inquit,
„muneris. ex istis quod petis alter erit.
- V. 245 hic tibi, mox Veneri Caesar promissus uterque;
hos debet solos Martia Roma deos.“

sic cecinere deae, nec tu, Tiberine, repugna,
 irrite, nec flammam amne morare tuo,
 nec iuvenis positi supremos destrue honores.

V. 250 vade age et immissis labere pronus aquis.“

Tiberim in hora exsequiarum Drusi Campum Martium inundavisse, praeter Consolationem nemo tradit. quae inundatio desideratur in catalogo inundationum Tiberis ab H. Nissen, „Italische Landeskunde“ I p. 324 constituto, nec Realenc. 2. Reihe VI 801 inseritur in seriem inundationum ex Nissen transscriptam. singulari igitur eruditione Consolationis scriptor utitur digna contemporaneo Drusi. aegerrime enim putabimus, huius inundationis memoriam perennaturam fuisse apud posteros ne oblitteratam quidem inundationibus posterioribus anno 5 p. Chr., a. 16, a. 36 accidentibus, nisi in carmine aequali recepta fuisset. Augusteae igitur aetatis opusculo adhibito Consolationis scriptor memoriam inundationis resuscitavit. Epicedium autem Drusi deperditum illud ab Elegiarum in Maecenatem poeta conditum maxime idoneum est, quod in narranda hac inundatione et interpretatione eius fabulosa pro fonte Consolationis habeatur. nam ea ratione explicatur inundatio, ut memores fiamus Elegiarum in Maecenatem: tale colloquium deorum Martis et Tiberis in Consolatione proferatur, quale colloquium Apollinis et Bacchi in Elegiis in Maecenatem v. 49 ss. occurrit, de quo egi supra in Elegiarum commentario hoc vol. Mus. Rhen. p. 117 ss. nimirum pater Tiberinus Campum Martium in Consolatione ideo inundasse dicitur, ut flammis rogi extinctis corpori Drusi immuni a rogo viam ad vitam beatam inter caelestes aperiret. deinde pergens fabulari scriptor Consolationis Martem inducit, cuius allocutione commotus Tiberinus pater ab apotheosi Drusi instruenda animum deflectat. similiter igitur ut in Elegiis in Maecenatem Apollinis et Bacchi colloquium adhibetur ad deterrendos cives Romanos ab insectatione Maecenatis ut hominis effeminati, sic in Consolatione cives Romani deterrentur colloquio Martis et Tiberini a votis pro consecrando Druso ineundis.

Nil vero obstat, quominus iam sub Augusto, qui privignum defunctum summopere honoravit, consecratio Drusi in sermonibus urbanorum fuerit. quin eam quoque superstitionem Augusteis tribuo, qua servato a flammis corpore defuncti ascensus ad caelum expeditior fiat. quid? nonne in Augusti ipsius exsequiis teste Suetonio, Aug. 100 vir praetorius iuravit, se effigiem cremati euntem in caelum vidisse: ex ossibus lectis

igitur Augusti effigies rursus exorta esse putabatur. unde apparet, quantopere in ritibus consecrationis variae opiniones secum pugnaverint.

Ad summam credere alienum non est, populum Augusteum post mortem Drusi consecrationem mortui ventilavisse. at Augustus, quamvis laceratus maerore et desiderio privigni amissi, consecrationi obstitit. sic me iudice iam in carmine Augusteo, quo Elegiarum in Maecenatem scriptor Drusum deflevit, fuit inundatio Tiberis, fuitque Mars Tiberinum dehortatus a consecrando Druso.

Nihilominus Gualthero Kraus, *Realenc.* XVIII 1 (1942) p. 1974, 37 ss. assentiendum est, multo melius ad initia Claudii quam ad tempora Drusi morientis consilium consecrandi eius quadrare. Augustus amore paterno Drusum prosequabatur, Claudius patrem venerabundus etiam ea de causa colebat, ut ex dignitate defuncti auctoritatem ipse caperet. praeterea sub Claudio facilius erat deos facere quam sub Augusto, postquam Gaius Caesar Drusillam sororem consecravit (*Realenc.* X 392 et 937). accedit, quod avia Claudii, Livia, Iulia Augusta a. 29 mortua a Claudio reapse consecrata est mense Ianuario anni 42 (*Realenc.* III 2788 et XIII 922). fuit igitur, cur Mars dehortaretur a consecrandis pluribus. nulla aetate propius quam primis annis Claudii Drusus aberat a consecratione. quocirca Consolationis poeta maximo cum studio argumentum in fonte repertum exaggeravit.

VI

De ratione inter Consolationem ad Liviam et Elegias in Maecenatem intercedente

Testimonio scriptoris Elegiarum in Maecenatem, quo se ante Maecenatem defletum etiam Drusum deflevisse ait, quidam docti adeo abusi sunt, ut unum eundemque poetam Consolationem a. 9 a. Chr., Elegias a. 8 a. Chr. fecisse autumarent, quam sententiam iam a Scaliger obiter exsertam Baehrens, *P.L.M.* I p. 101 et 124 accepit, acerrime defenderunt Skutsch, *Realenc.* IV 945 ss. et Vollmer, *P.L.M.* I p. 35 et II 2 p. 15 s.; accessit Hosius, *Gesch. d. R. Lit.* II⁴ p. 255. sic error late grassatus est, quo nequior nullus studia in Consolationem perturbavit, praeter illum errorem, quo Haupt renascentium litterarum aetati carmen tribuebat.

Imitatione Ovidiana Consolationis ab omni parte resecta dubitari nequit, post mortem Ovidii eam scriptam esse; v. supra p. 196. nec flocci facio, quae hariolabantur Skutsch et Vollmer, consensum inter Ovidium et Consolationem sic dispartiti, ut in similitudinibus Ovidianis ad opera Ovidii ante a. 9 a. Chr. scripta pertinentibus Consolationis scriptor Ovidium imitatus sit, in similitudinibus ad opera Ovidii post a. 9 a. Chr. scripta pertinentibus versa vice Ovidius ex Consolatione hauserit. quam sententiam monstruosam abunde refellerunt priores, etiam ad id in singulis similitudinibus docte et sagaciter respondentes, uter poeta ab utro, conexu sententiarum respecto, probabiliter penderet; cf. Kraus, *Realenc.* XVIII 1 p. 1972 s.

Insuper inconsulte Vollmer, P.L.M. II 2 p. 15 nobis persuadere conatur, Terentiae, Maecenatis uxori Elegias in Maecenatem oblatas esse, aequae ac Liviae Consolatio ab eodem poeta in obitu Drusi data sit. immo Terentiae allocutio nulla in Elegiis fit; ad discidium tantum coniugum alludit poeta v. 150. quid? nonne insubidum erat, seiunctae a marito matromae consolationem mittere? nec vero litterarum generi paramythenico accedunt Elegiae, cum paramythenici sit, ad certam personam sermonem dirigere. e contrario Elegiae, praeter quod a lividis et animosis Maecenatem defendunt, id unum agunt, ut monumentum sempiternum in honorem defuncti exigant.

Verum vero, quamquam Elegias in Maecenatem sub exsequiis defuncti a. 8 a. Chr. Lollius consularis conciliavit, Consolationem ad Liviam Polybius a litteris Claudii a. 42 p. Chr., tamen accidit, ut peculiari foedere haec duo carmina secum cohaereant. ea autem re hoc peculiare foedus conflatur, quod Consolationis scriptor corpusculum libellorum bene novit, quo Elegiae in Maecenatem nobis servatae et Epicedium Drusi eiusdem poetae hodie amissum in unum volumen coniuncta apud bibliopolas prostabant. ut in hanc sententiam eam, primum eo commoveor, quod supra p. 221 inundationem Tiberis in Consolatione obviam ex Epicedio Drusi deperdito scriptoris Elegiarum deduxi. deinde inter Elegias et Consolationem similitudines quaedam sermonis occurrunt, quae ex parte saltem imitatione scriptoris Consolationis Elegias compilantis explicandae sunt.

Noli autem mirari, quod Consolationis scriptor in corpusculum minutum poetae, cuius nomen periit, inciderit. post flebilem Drusi obitum segetem uberem provenisse laudationum

mortui consentaneum est. praesertim quod Augustus ipse teste Suetonio, Claud. 1 *non modo defunctum . . . pro contione laudavit*, sed etiam *elogium tumulo eius versibus a se compositis insculpsit*, denique *vitae memoriam prosa oratione composuit*, omnis cohors poetarum Augusteorum in consolandum principem incubuit. quocirca inter poetas Augusteos clarum nomen habentes unum eligere velle, cui Elegiae in Maecenatem et Drusi Epicedium, quod interiit, tribuantur, temerarium est. satis habeo, similitudines evidentissimas inter Consolationem et Elegias adnotare deque via, qua declarentur, disputare.

- Eleg. v. 15 s. omnia cum posses tanto tam carus amico,
te sensit nemo posse nocere tamen.
Con. v. 47 s. nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi,
nec quemquam nervos extimuisse tuos.
Eleg. v. 7 s. illa(ratis) rapit iuvenes prima florente iuventa,
non oblita tamen sed repetitque senes.
Cons. v. 372 illa (Fortuna) rapit iuvenes, sustinet illa senes.
Eleg. v. 150 (Drusus) et magnum magni Caesaris illud opus.
Cons. v. 39 (Drusus) Caesaris illud opus, voti pars altera
vestri.

Harum similitudinum trium, quibus manifestiores non sunt, prima in loco communi versatur de potente in potentia mentem aequam tenente. qui locus variis coloribus fucatus recurrit praeter Graecos apud Ciceronem, Senecam, Ovidium. atque testibus omnibus huius sententiae inter se comparatis Th. A. Copray, „Cons. ad L., Eleg. in M.“ I (diss. Nymwegen, 1940) p. 20 et 112 merito statuit, ad cognationem inter Consolationem et Elegias probandam hunc consensum non sufficere. aliter autem res se in altera et tertia similitudine habet. ubi Elegiae et Consolatio adeo in hemistichiis *illa rapit iuvenes* et *Caesaris illud opus* conspirant, ut aut de fonte communi aut de recentiore poeta vetustiore imitato cogitandum sit. iam vero hemistichion *illa rapit iuvenes* Consolationis poeta ex Elegiis transscripsit. quod non revoco ad fontem communem aut locum rhetoricum ab utroque poeta agitatam, etiamsi in Elegiis de rate Charontis, in Consolatione de Fortuna verba fiant. immo cum alii testes eius sententiae velut Anthol. 629, 9 Riese *haec (Fortuna) aufert iuvenes ac retinet senes* longius differant ab Elegiis et Consolatione quam haec inter se, Consolationis poeta dictionem Elegiarum in usum suum vertit. ceterum propria ratione modulata recurrit haec sententia apud

Goethe, „Der Gott und die Bajadere“: „Wir tragen die Alten nach langem Ermatten und spätem Erkalten, wir tragen die Jugend, noch eh' sie's gedacht“.

Restat tertia similitudo, quae se maxime animis lectorum Elegias cum Consolatione conferentium ingerat, qua Drusus *Caesaris illud opus* appellatur. atque hunc quoque flosculum ab Elegiis accepisse Consolationem, si urges, non obsto. verum imago, qua discipulus a magistro educatus pro *opere* eius habeatur, latius patet, nec proprium inventum scriptoris Elegiarum est. immo haec vox de Druso praecipue quadrat ad rationem, quae inter Augustum et illum intercessit. nam Augustus, postquam Livia coniunx gravida a marito priora Drusum in domo mariti novi peperit, infantem Neroni patri in tempus reddidit. deinde vero post mortem Neronis tutor pueruli factus eum mira pietate educavit et semper in oculis habuit, nec tamen adoptavit eundem. itaque unice convenit dictio *Caesaris illud opus* rationi, qua Augustus cum Druso coniunctus fuit. ceterum imago illa, qua praeceptor, qui discipulum instruxit, tamquam *opus fabricavisse* dicitur, circa Augustum et post eum magnopere in litteris Latinis effloruit; cf. Ovid., Met. XV 750 s. *neque enim de Caesaris actis ullum maius opus quam quod pater exstitit huius*. Manil. I 774 *aetheriusque Platon et qui fabricaverat illum*. Sen., Epist. 34, 2 *asserō te mihi, meum opus es*. quae cum ita sint, equidem iam Goett. Anz. CCIII (1941) p. 83 confidenter repetivi Drusum pro *Caesaris opere* habitum ex loquela Augusti ipsius. nec desum, quin indicem, quo loco de Druso sic dixisse eum decuerit. cum Suetonius, Claud. 1 referat, tumulo Drusi elogium versibus a se compositis Augustum insculpsisse, vide ne hoc elogium eo verbo claruerit. ac si distichon refingere stiloque Augusti adaptare animus fert, rogo te mecum in eas periculum restituente forte fortuna distichon Augusti: Drusum Roma gemit, equites Drusum sua turba; ipse suum deflet qui fabricavit opus.

VII

Anachronismi Pseudo-Ovidii

Germani, orbis alter

V. 391. et modo Germani, Romanis cognitus orbis.

In hoc versu Vollmer editores priores Burmann et Baehrens secutus cum codicibus quibusdam *Germanus* scripsit,

quamquam in archetypo Carolino *Germani* fuisse ipse statuit. ne R. Helm quidem Philol. Wochenschr. LV (1935) p. 922 locum recte intellexit, qui quidem adversus Witlox formam *Germani* defendit, at in eo falsus est, quod hanc formam pro genetivo singulari habeat, colectivo usu numeri singularis posito. quid rei sit, A. E. Housman et ego vidimus. nam ubi praeter orbem Romanum etiam alter orbis sua regione suoque iure separatus ab imperio Romano apud poetas aevi imperatorii ineuntis memoratur, ibi vocabulo populi externi pluraliter posito vox *orbis* per appositionem singulariter additur. sic mihi quidem Consolationem interpretanti in mentem venit Manilii IV 674 s. *Parthique, vel orbis alter*, Housmano autem Manilium enarranti succurrit Manil. IV (1920) p. 87 Consolationis locutio *Germani, Romanis cognitus orbis*. Housman autem etiam plura ad id genus loquendi illustrandum adnotavit.

Versus 391 *et modo Germani, Romanis cognitus orbis* catalogum populorum a Neronibus subactorum claudit, cuius catalogi eruditionem selectam p. castigavi. iam verro haec vox v. 391 de Germanis suum orbem tenentibus plane aliud sonat ac quae praecedunt in catalogo gentium Neronibus devictorum locutiones *Armeniusque fugax, Dalmata supplex, Pannonii dispersi*. hoc verbum de Germanis neque ad annum 9 a. Chr. quadrat, quo quidem anno pacata a Druso Germania sub fasces Romanos itura erat, nec vero ad lustra illa decurrentia inde a morte Drusi usque ad bellum Varianum anni 9 p. Chr., quibus lustris castra aestiva apud Visurgim consulares collocabant. immo colores, quibus versus 391 de Germanis tenorem accipit, potius illis decenniis conveniunt, quibus post bella Germanici Romani spem subigendorum populorum trans Rhenum deposuerant. itaque anachronismi aperti Pseudo-Ovidius vincitur.

Atque etiam qui leguntur de Germanis versus 271 ss. *at tibi ius veniae superest, Germania, nullum; postmodo tu poenas, barbare, morte dabis* eqs., indigni sunt poeta sub exsequiis Drusi post arma victricia Neronum scribente. demum post cladem Varianam Romani iracundia adversus Germanos adeo incensi sunt, ut poetae talibus coloribus de Germanis loquerentur, qualibus circa a. 10 p. Chr. Ovidus utitur Trist. IV 2, 1 ss. *iam fera Caesaribus Germania, totus ut orbis, victa potest flexo succubuisse genu*. quos versus Ovidianos R. B. Steele, „The Nux, Maecenas, and Cons. ad L.“ (1933 p. 44 apte contulit cum versibus Cons. 271 ss.

Auguria ex eventu

V. 161 ss. „quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
 Druse, neque ad veteres conditus ibis avos;
 miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa:
 hanc lucem celeri turbine Parca neat.“

Livia longo sermone v. 121—164 Drusum mortuum alloquens a poeta inducta sub calce sermonis cum gaudio exspectat, ut in eodem tumulo cum filio condatur. quadraginta fere annis post mortem filii mater diem obiit a. 29 p. Chr. et in mausoleo Augusti sepulta est (cf. Realenc. XIII 922, 43); Drusi ossa a. 9 a. Chr. illata sunt (cf. ibid. III 2715, 48).

V. 411 ss. at tu, qui superes maestae solacia matri,
 comprecor, illi ipsi conspiciare senex,
 perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque;
 et vivat nato cum sene mater anus.
 eventura precor: deus excusare priora
 dum volet, a Druso cetera laeta dabit.

Non nisi augurio ex eventu explicantur vota a poeta Tiberio oblata, quibus optat, ut una cum matre Tiberius senescat. quae vota adeo veram vitam Tiberii et Liviae praesagiunt, ut ficta esse ab homine post excessum Liviae et Tiberii scribente pateat. neque enim a. 9 a. Chr. Caesaribus Gaio et Lucio superstitibus de sorte futura Tiberii satis constabat. nec facile erat ominari, et Liviam et Tiberium ad extremam senectutem provecturos esse. Livia autem annos sex et octoginta nata a. 29 e vita discessit, Tiberius a. 42 a. Chr. natus a. 37 p. Chr. diem obiit.

Bonnae

Ernestus Bickel

ZWEI GEOGRAPHICA IM PELOPONNES

I. Die Ortschaften der Thyreatis

Als Pausanias auf dem Wege von Argos nach Sparta die Thyreatis durchquerte, fand er II 38, 6 keine Stadt Thyrea vor, sondern nur drei Dörfer Anthene, Neris und Eua. Jene erscheint nur neben diesen Dörfern VIII 54, 4 als Zielpunkt für eine der historischen Straßen, die von Tegea ausgehen — das sagt nichts